



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 49. Vtrum homo innocens posset creari cu[m] concupiscentia, ac sine dono integritatis, quo paris inferior esset perfectè subiecta superiori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

ralem coniunctionem, quia talis dispositio, non potest à natura induci, nisi determinato modo per viam generationis ex semine. Vnde & si ponatur etiam esse aliqua potentia passiva ex parte corporis, seu inclinatio quacumque ad animam coniunctionem, non est talis, quod sufficiat ad rationem motus naturalis. Vnde resurrectio simpliciter loquendo est miraculosa, non naturalis, nisi secundum quid.

26. Dices: ad beatitudinem naturalem, quæ debet esse æterna, requireretur, vt homines resurgerent in corporibus immortalibus, & incorruptibilibus; sed immortalitas, & incorruptibilitas corporum non potest esse naturalis; ergo.

27. Respondeo, concedo maiorem, & distinguo minorem; immortalitas, & incorruptibilitas corporum non potest esse naturalis secundum quid, in quantum naturale dicitur, quod fit ad aliquam exigentiam naturæ; nego; non potest esse naturalis simpliciter, in quantum naturale dicitur, quod fit per causas secundas naturales, transcat; & nego consequentiam. Immortalitas illa, & incorruptibilitas esset naturalis secundum quid, in quantum esset iuxta aliquam exigentiam naturæ. Anima enim immortalis exigit exigentiam partim physicam, partim moralem pro statu termini corpus incorruptibile, & immortale, vt in eo possit recipere mercedem æternam, Eadem immortalitas non esset naturalis simpliciter, in quantum naturale dicitur, quod fit per causas secundas naturales. Addo probabiliter dici posse, quod immortalitas perfecta causari potest per causas secundas naturales, puta per fructum ligni vitæ, iuxta opinionem Bellarmini relatum à nobis tom. 1. qu. 271. num. 22. quæ docet lignum vitæ habuisse virtutem naturalem cauſandi in corporibus immortalitatem perfectam; & fortasse Poetæ ad hunc effectum ligni vitæ alluserunt, dum dixerunt ambrosiam potatam reddere corpora immortalia, & incorruptibilia.

28. Dices supra Tomo 1. qu. 270. diximus immortalitatem illam imperfectam, quam habuit Adamus, fuisse donum supernaturale, & supra exigentiam naturæ; ergo inconsequenter nunc dicimus, quod immortalitas, qua homines in pura natura fruenter in naturali beatitudine, esset donum naturale, & non supra exigentiam naturæ.

29. Respondeo, distinguo antecedens; immortalitas Adami pro statu viæ fuit donum supernaturale respectu hominis in statu viæ, concedo; respectu hominis in statu termini, nego; & nego consequentiam. Natura humana in statu viæ non exigit immortalitatem, sed illam exigit in statu termini; ergo immortalitas data Adamo pro statu viæ fuit supra exigentiam naturæ, adeoque donum supernaturale, licet immortalitas in statu termini exigatur à natura, adeoque sit aliquo pacto naturalis secundum quid. Proportionaliter perfecta subiectio partis inferioris respectu superioris data Adamo in statu viæ fuit donum supernatu-

rale, quia fuit supra exigentiam naturæ in statu viæ; vt in statu beatitudinis daretur perfecta subiectio, & etiam impeccabilitas saltem moralis, vt dictum est quæst. 47. num. 36. quæ essent dona aliquo pacto naturalia secundum quid, quia essent debita naturæ pro statu beatitudinis. Quia Adam habuit plura dona, quæ homini non debentur in statu viæ, sed in statu termini, ac beatitudinis, ideo Sanctus Augustinus sæpe docet Adamum fuisse constitutum in quodam statu beatitudinis, vt cum lib. 1. de lib. arbit. cap. 11. dicit. *Quoniam credamus hominem tam perfecte conditum à Deo, & in beatitudine constitutum, vt ad ærumnas mortalis vitæ ipsius de propria voluntate delapsus sit, tamen hoc cum firmissima fide teneamus, intelligentia nondum assumsum.*

30. Inferitur primo, quod immortalitas Adami, & perfecta subiectio, qua pars inferior obediebat superiori, fuerunt dona supernaturalia, sed non eodem modo, ac gratia sanctificans. Gratia enim sanctificans ita fuit supernaturalis, vt à natura non exigeretur pro statu naturali, neque viæ, neque termini; ac immortalitas illa, & perfecta subiectio fuit ita supernaturalis, vt non exigeretur à natura pro statu naturali viæ, sed exigeretur pro statu naturali termini.

31. Inferitur secundo, quid sit dicendum de alijs duabus conditionibus requisitis ad beatitudinem naturalem, quæ sunt non fallere, non offendi, siue peribari. Dico, quod siue immortalitas, qua homines non morentur, esset aliquo pacto naturalis secundum quid, non falli, ac non offendi, essent dona proportionaliter naturalia secundum quid, in quantum exigerentur à natura pro statu termini beatitudinis, vt explicatum est.

QVAESTIO XLIX.

Vtrum homo innocens posset creari cum concupiscentia, ac sine dono integritatis quo pars inferior esset perfectè subiecta superiori?

1. **V**idetur esse impossibile, vt natura rationalis innocens creetur cum concupiscentia, & sine dono integritatis, per quam pars inferior sit perfectè subiecta superiori, primo quia non potest Deus creare naturam inordinatam, & malam; sed eo ipso, quod pars inferior non esset subiecta superiori, natura esset inordinata, & mala, cum rectus ordo posset subiectionem respectu superioris; ergo &c.

2. Secundo concupiscentia, qua caro concupiscit aduersum spiritum, est mala; sed Deus non potest esse auctor mali; ergo Deus non potest creare naturam cum tali concupiscentia. Maior, & minor probatur auctoritate rationibus Sancti Augustini disputantis contra Iulianum, Iulianus enim dicebat concupiscentiam

nam esse bonam, & habere auctorem Deum. Augustinus è conuerso probat concupiscentiam esse malam, adeoque non habere auctorem Deum. Rationes autem Augustini sunt primo, quia id, cui consentire est malum, & cui repugnare est bonum, procul dubio est malum; manifestum enim est, quod consentire bono non est malum, & repugnare bono non est bonum: sed malum est consentire concupiscentiæ, bonum est repugnare concupiscentiæ per continentiam; ergo concupiscentiæ non est bona, sed mala. Secundo si actus concupiscentiæ sunt mali, etiam concupiscentia est mala, cum non possit arbor bona malos fructus facere; sed actus concupiscentiæ sunt desideria peccandi, quæ desideria procul dubio sunt mala, etiam si spiritu non consentiente, sed repugnante, concupiscentia, quæ desiderando concepit peccatum, non sinatur illud parere, exequendo; ergo &c.

3. Tertio quod est naturaliter pudendum est malum, nec habet auctorem Deum; neminem enim pudere debet de bono, neque de eo, cuius Deus auctor est; sed concupiscentia rebellis rationi, & eius motus sunt naturaliter pudendi; ergo &c. Urget autem hæc argumenta sapissimè S. Augustinus, ac præsertim in libris contra Iulianum. Lib. enim 4. cap. 2. dicit. *Cur non potius malum vocetur, quod fatens esse frenandum: cur quæso frenandum, nisi ne noceat, nisi ne ad illicita, quæ desiderat, relaxetur? Et utique desiderium mali malum est, etiam si non consentiatur.* Et eodem lib. cap. 26. *quid nobis esset ingratus, quid irreligiosus, si in membris nostris, non de vitio non de pena nostra, sed de Dei confunderemur operibus?*

4. Respondeo, quod procul dubio natura humana innocens potuisset creari cum concupiscentia, & sine dono integritatis, quo pars inferior esset perfectè subiecta superiori; & quod etiam si crearetur cum concupiscentia, nihilominus non esset mala, sed bona, ac Deus non esset culpandus, vt auctor mali, sed summopere laudandus, vt auctor boni.

5. Probatur primo; nam si natura humana non potuisset creari sine integritate, eo ipso integritas non fuisset indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis eius conditio, quæ est 27. propositio Baij, damnata à duobus Pontificibus. Probatur sequela. Est enim naturalis conditio naturæ rationalis, vt non creetur peruersa, & mala; ergo si integritas esset necessaria, ne natura humana sit peruersa, & mala, vt assumunt aduersarij, non est indebita naturæ exaltatio, sed naturalis eius conditio.

6. Probatur secundo. Nam si integritas esset ita debita naturæ humanæ innocenti, vt non posset illi negari sine iniustitia, non esset gratia propriè dicta, quod est contra Sanctum Augustinum, qui lib. 4. contra Iulianum, capite vltimo dicit: *Gratia magna erat ibi, ubi terrenum, & animale corpus bestiale libidinem non habebat.* Probatur sequela; quod enim est ita debitum naturæ, vt non possit illi negari sine iniustitia, non est gratia propriè dicta, vt di-

ctum est quæst. 43. num. 5. sed integritas esset ita debita naturæ innocenti, vt non potuisset illi negari sine iniustitia; ergo.

7. Probatur tertio: nam eatenus per aduersarios natura humana innocens non potuisset creari cum concupiscentia, & cum difficultate bene operandi, quæ oritur ex concupiscentia, quatenus si sic crearetur, natura esset peruersa, & mala, adeoque Deus esset auctor mali, & esset culpandus, non laudandus, vt potè qui fecisset naturam peruersam, & malam; sed etiam si natura crearetur cum concupiscentia, & cum difficultate orta ex concupiscentia, nihilominus natura non esset peruersa, & mala, ac Deus non esset auctor mali, ac proinde non esset culpandus, sed laudandus, vt ex professo docet Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 20. & confirmat lib. 1. retractationum, cap. 9. dicens: *Quamuis ignorantia, & difficultas, etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sit culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem 3. libro de libero arbitrio disputauimus.* Sed hoc magis explicabitur paulo post, respondendo ad argumenta defumpta ex auctoritate Augustini.

8. Ad Argumenta in contrarium respondeo primo, in quantum nituntur rationibus defumptis ex Augustino: secundo in quantum nituntur auctoritate Augustini.

9. Ad 1. Concedo maiorem, & distingo minorem: eo ipso, quod pars inferior non esset subiecta superiori debita subiectione, natura humana esset inordinata, & mala, concedo minorem; eo ipso, quod non esset subiecta subiectione perfectissima, & indebita, natura humana esset inordinata, & mala, nego minorem; & nego consequentiam. Ad hoc, vt aliquid sit simpliciter malum, non sufficit, vt careat perfectissimo bono, sed debet carere bono debito, & proportionaliter vt sit inordinatum, carere debet ordine debito; sed naturæ humanæ debetur quidem aliqua subiectione partis inferioris ad superiorem, sed non debetur perfectissima subiectione; ergo non est inordinata, & mala ex eo, quod careat perfectissima subiectione, sed tunc solum esset mala, si careret subiectione debita. Sed explicandum est, quænam sit subiectione perfectissima, & indebita, quæ verò sit subiectione minus perfecta, & debita. Perfectissima subiectione est, per quam pars inferior, hoc est appetitus sensitiuus, est ita perfectè subordinata parti superiori, hoc est voluntati, & rationi, vt proposito suo obiecto, hoc est bono sensibili, non possit illud appetere, nisi voluntas consentiat, vel saltem non reluctetur, & non possit in villo corporeo membro, voluntate reluctante, causare vllum motum, nec vllam alterationem. Hæc subiectione est indebita naturæ humanæ, ideoque in Adamo non fuit naturalis conditio, sed gratiæ beneficium, vt constat ex Bulla contra propositionem 17. Baij, & fuit magna gratia, vt Sanctus Augustinus docet loco iam allegato. Ratio est, quia voluntati naturaliter non conuenit tantum dominium supra cæteras potentias,

vt possit impedire, ne propositis obiectis, moueantur ab ipsis; e. g. non potest voluntas impedire, ne oculus videat, proposito obiecto visibili, ne auris audiat, proposito obiecto audibili; ergo neque voluntati naturale est, vt habeat tam perfectum dominium supra appetitum, vt possit impedire, ne appetat bonum sensibile propositum, & ne ex actibus appetitus sensitui sequantur aliqua alterationes, & aliqui motus proportionati in corpore; ex. gr. ne ex timore sequatur tremor, frigus, & motus sanguinis ad cor; ne ex ira sequatur effusio sanguinis circa cor &c. Subiectio minus perfecta, & debita est, per quam voluntas rationalis ita dominatur appetitui sensitui, vt possit contra inclinationem appetitus ad bonum sensibile eligere efficaciter bonum honestum, & mouere corporea membra ad illud efficiendum per actiones etiam contrarias appetitui sensitui. Hæc subiectio est omnino debita naturæ humanæ, & si natura crearetur sine illa, esset inordinata, & mala. Prima illa perfecta subiectio non est debita, sed purè gratuita, & est magna gratia, ideoque natura sine illa non fuisset inordinata, & mala, sed solum defectuosa aliquo naturali defectu, eo pacto, quo omnis natura creata est essentialiter defectuosa, vt paulo post magis explicabitur.

10. Ad 2. distinguo maiorem; concupiscentia est mala in eo sensu, in quo omnes defectus naturales, vt peccabilitas, defectibilitas possunt dici mali, & præterea de facto est etiam mala denominatiuè, in quantum originem habet à peccato concedo maiorem; concupiscentia est mala moraliter, & formaliter, nego maiorem; concedo minorem; & distinguo consequens; ergo Deus non potest creare naturam cum concupiscentia, itavt concupiscentia originem habeat à Deo, concedo consequentiam; itavt concupiscentia originem habeat ex nostro nihilo, nego consequentiam. Tripliciter potest intelligi, quod concupiscentia sit mala. Primo ita, vt sit mala formaliter, & moraliter, & quod sit verè, & propriè peccatum. In hoc sensu de fide est ex Concilio Tridentino sess. 5. de peccato originali, concupiscentiam in iustificatis non esse malam, ita vt sit verè, & propriè peccatum. Secundo potest intelligi, quod sit mala denominatiuè, in quantum de facto originem ducit à peccato Adæ, & ad peccatum inclinatur; & in hoc sensu ex Tridentino eodem loco concupiscentia potest dici mala. Tertio potest intelligi, quod concupiscentia sit mala, hoc est sit quidam defectus, eo pacto, quo peccabilitas, corruptibilitas, & alia eiusmodi sunt defectus; & etiam in hoc sensu concupiscentia potest dici mala, Deus licet non possit esse auctor mali, & defectus, potest tamen esse auctor, & causa rerum defectuosarum, ita vt formaliter loquendo, defectus sibi ex vna parte rebus, non in quantum sunt ex Deo, sed in quantum sunt ex nihilo: ex. gr. Deus creauit creaturas defectuosas defectibus peccabilitatis,

corruptibilitatis &c. ita vt tales defectus conueniant creaturis, non in quantum sunt ex Deo, sed in quantum sunt ex nihilo, vt docent communiter Theologi ex S. Augustino. Regula igitur vniuersalis est, vt illa omnia, & sola prædicata creaturarum, formaliter loquendo, dicantur habere auctorem Deum, quæ ante creationem præxistunt in Deo, non autem in creaturis; illa autem prædicata, quæ ante creationem non præxistunt in Deo, sed intelliguntur præxistisse in nihilo creaturarum, creaturæ dicantur habere non ex Deo, sed ex suo nihilo, ex quo factæ sunt, sed in Deo præxistunt omnes, & solæ perfectiones creaturarum, seclusis imperfectionibus, defectus autem, & negationes perfectionum non præxistunt in Deo, sed intelliguntur præxistisse in nihilo, quod continent omnes defectus, & negationes omnium perfectionum; ergo formaliter loquendo, imperfectiones creaturarum, seclusis imperfectionibus, habent auctorem Deum, defectus & imperfectiones creaturæ habent ex suo nihilo, & veluti ex necessitate materiæ; ergo etiam defectus concupiscentiæ, libidinis, mortalitatis &c. natura pura habuisset, non ex Deo, sed ex suo nihilo, & ex necessitate materiæ. Sicut ergo Deus de facto creauit creaturas rationales innocentes defectuosas defectu peccabilitatis, ita potuisset creare primum hominem innocentem defectuosum defectu concupiscentiæ non perfectè subditæ rationi, & si talem creasset, non creasset naturam malam, nec fuisset auctor mali, sicut dum creauit Adamum, & angelos defectuosos defectu peccabilitatis, non creauit angelos, & Adamum malos, nec fuit auctor mali. De his tamen ita Deus creauit naturam humanam à Adamo, vt per donum integritatis liberaretur illam à defectu connaturali concupiscentiæ & fecit hominem rectum, hoc est nullum pacto per concupiscentiam inclinatum ad bonum sensibile, & ad peccatum; per peccatum autem Adæ concupiscentia intrauit in hominem, quæ proinde potest dici mala, etiam in quantum est vitium conueniens homini, non ratione primæ conditionis, sed ratione peccati.

11. Eodem pacto respondeo ad resolutiones, quibus probatur concupiscentiam esse malam. Ad primam ex eo, quod id, cui consentire est malum, repugnare est bonum, procul dubio est malum; concupiscentia est talis; ergo &c. distinguo maiorem, id est consentire est malum, repugnare est bonum est malum, hoc est defectuosum, concedo maiorem; est malum formaliter, & moraliter, nego maiorem; concedo minorem; distinguo eodem pacto consequens. Malum formaliter, & moraliter consistit in hoc, voluntas rationalis, proposito sibi ex vna parte bono perfecto, & incommutabili, quale est honestum, ex alia parte bono defectuoso & commutabili, quale est bonum sensibile

ad quod concupiscentia inclinatur, consentiens concupiscentiæ, auertat se à bono incommutabili, & se conuertat per liberam electionem ad bonum sensibile, defectuosum, & commutabile. Bonum verò moraliter consistit in hoc, vt voluntas rationalis etiam repugnante concupiscentia, relicto bono sensibili, & commutabili, conuertat se per liberam electionem ad bonum incommutabile. At verò ipsa concupiscentia per hoc, quod appetat bonum commutabile, & defectuosum, est quidem defectuosa, sed non est moraliter mala. Ratio est, quia malitia moralis consistit formaliter in auersione libera à bono incommutabili; sed concupiscentia cum habeat pro adæquato obiecto bonum sensibile, non potest se liberè auertere à bono incommutabili; ergo concupiscentia potest quidem esse defectuosa in se, & in suis actibus, non potest autem esse formaliter, & moraliter mala, neque in se, neque in suis actibus.

12. Ad secundam rationem, quæ est: actus concupiscentiæ sunt desideria peccatorum, adeoque sunt mali; ergo etiam concupiscentia est mala, nego, quod actus concupiscentiæ sint formaliter desideria peccandi; sunt enim solum desideria boni sensibilis, & defectuosi, ideoque sunt quidem defectuosi, sed non sunt mali moraliter, & formaliter. Voluntas verò consentiens concupiscentiæ, & eligens liberè bonum defectuosum, cum auersione à bono perfecto, & incommutabili, eligit formaliter peccatum, & est formaliter, & moraliter mala.

13. Ad tertiam rationem, quæ est: quod est naturaliter pudendum, est malum, nec habet auctorem Deum; concupiscentia cum suis actibus est eiusmodi; ergo &c. distingo maiorem; quod est naturaliter pudendum, semper, & necessariò est malum moraliter, nego maiorem; est malum aliquando moraliter, aliquando est purè defectuosum, concedo maiorem; concedo minorem; & distingo eodem pacto consequens. Etiam defectus, quos habemus ex nihilo, possunt esse naturaliter pudendi, si habeant alias conditiones requisitas ad excitandum pudorem. Et quia concupiscentia, & eius motus in pura natura essent defectus habentes originem, non à Deo, sed ex nostro nihilo, & haberent alias conditiones requisitas ad excitandum pudorem, ideo possent excitare pudorem, per quem confunderemur, non de bono naturæ, neque de opere diuino, sed de defectu, quem haberemus ex nostro nihilo.

14. Ad auctoritatem S. Augustini respondeo patere ex tota serie disputationis contra Iulianum, Sanctum Augustinum circa concupiscentiam idem ipsum docuisse, quod nos dicimus. Obiecerat Iulianus contra peccatum originale, quod vocabatur peccatum naturæ; est impossibile, vt ex principijs, & actionibus vndique bonis generetur aliquid malum; sed filij, qui nascuntur ex legitimo matrimonio,

generantur ex principijs, & actionibus vndique bonis; ergo non possunt generari mali, adeoque non possunt ex tali generatione contrahere peccatum originale. Minorem probabat. Natura enim parentum, & diuersitas sexuum est bona, & à Deo creata; nuptiæ sunt bonæ, & à Deo institutæ; fecunditas est bona, ac fructus diuinæ benedictionis, qua dixit, *Crescite, & multiplicamini*; omnes actiones sunt bonæ, & licitæ; ergo omnia, quæ concurrunt ad generationem, sunt bona, & habent auctorem Deum. Vnde ergo generatur filius malus, & subditus diabolo? Respondet S. Augustinus lib. 2. de Nupt. & Concup. c. 5. concessa maiori, negando minorem. Ad generationem enim filiorum concurrunt concupiscentia carnis, & libido parentum, quæ non est bona, nec habet auctorem Deum, qui creauit primos homines immunes à concupiscentia, & libidine, sed est mala, & per peccatum ex inuidia diaboli ingressa est in hominem. Cum igitur ad generationem filiorum concurrat libido mala orta ex peccato, nascuntur filij mali, & infecti peccato. Hinc orta est controuersia inter Augustinum, & Iulianum, vtrum concupiscentia sit bona, & habeat auctorem Deum, an sit mala, & habeat originem à peccato. Iulianus contendebat concupiscentiam spectare ad bonum naturæ, ideoque esse bonam, & habuisse auctorem Deum, & fuisse in Adamo etiam ante peccatum. Augustinus è conuerso docet, & probat ex Scriptura, quod Deus creauit primos homines sine concupiscentia, qui idcirco ante peccatum non confundebantur de sua nuditate; post peccatum verò concupiscentiam experti, confusi sunt, & ad confusionem auertendam conuerunt sibi perizonata. Secundo probat concupiscentiam non esse bonam, sed malam rationibus allatis, ex eo, quod malum sit illi consentire, bonum repugnare &c. Cum igitur nos fateamur concupiscentiam non esse bonam, sed malam; non spectare ad bonum, sed ad vitium, & corruptionem naturæ; non fuisse in primis parentibus ante peccatum, sed post peccatum; non habuisse auctorem Deum, qui ab initio creauit hominem rectum sine vllacurritate ad bonum sensibile, quæ ex peccato per inuidiam diaboli ingressa est in hominem; ex parentibus verò bonis nasci filios malos, quia ad eorum generationem concurrunt concupiscentia mala, quæ est fructus peccati, omnino consentimus doctrinæ Sancti Augustini contra Iulianum. Superest quæstio cum Iansenio, & eius sectatoribus, vtrum omnis concupiscentia ita sit mala, vt non potuerit Deus ab initio creare naturam innocentem cum aliqua concupiscentia, & vtrum si Deus creasset naturam innocentem cum concupiscentia, fuisset auctor mali? In hac quæstione dico, Sanctum Augustinum expressè docuisse, quod concupiscentia non ita est mala, vt non potuerit conuenire naturæ innocenti; & quod si Deus creasset naturam cum concupiscentia,

non

non fuit auctor mali; & quod hoc totum non solum est verum, sed est necessario defendendum, cum disputamus contra Manichæos, ut solvere possimus eorum argumenta. Probatur: nam Sanctus Augustinus 1. Retract. cap. 9. agens de ignorantia, & difficultate bene operandi orta ex concupiscentia, tria docet. Primum est, quod ignorantia, & difficultas non fuerunt primordia naturalia hominis, cum Adam ab initio creatus fuerit sine ignorantia, & sine difficultate orta ex concupiscentia, sed sunt pœna primi peccati. Secundum est, quod si fuissent hominis primordia naturalia, adhuc Deus non esset culpandus, sed laudandus, quia adhuc non creasset naturam malam, sed bonam, & refert fusissimam disputationem, qua id probavit lib. 3. de libero arbitrio, cap. 20. & sequentibus. Tertium est, quod licet, quando disputatur cum Pelagianis, asserendum sit, quod concupiscentia sit pœna peccati, adeoque Deus non creavit naturam malam, quia creavit illam sine concupiscentia, tamen dum disputatur contra Manichæos, asserendum est, quod licet natura fuisset ab initio creata cum concupiscentia, adhuc Deus non fuisset auctor mali; ergo Iansenius docens non potuisse Deum creare hominem cum concupiscentia, quia fuisset auctor mali, directe repugnat Sancto Augustino in aliquo principio, quod Sanctus Augustinus non solum existimat verum, sed existimat necessarium ad defendendam veritatem catholicam contra Manichæos; nos verò sequimur omni ex parte doctrinam Sancti Augustini. Ratio, cur hoc principium sit necessarium ad soluenda argumenta Manichæorum est, quia Manichæi ad probandum, quod detur primum principium malum, sic arguebant. Natura humana ab ipso suo exordio est mala, cum habeat ignorantiam boni, & difficultatem exequendi bonum oram ex concupiscentia; sed Deus bonus non potest creare naturam malam; ergo cum Deus bonus produxit naturam bonam, aliquod aliud principium malum naturam vitiauit, ac fecit malam, admiscendo tenebras ignorantia, & ardorem concupiscentia. Hoc argumentum non sufficienter soluitur, dicendo, quod Deus ab initio creavit naturam humanam in Adamo sine ignorantia, & concupiscentia adeoque bonam, Adam verò peccando, vitiauit naturam, ut constat ex Genesi, & alijs locis Scripturæ. Manichæi enim negant totum vetus testamentum, adeoque dicunt narrationem de creatione, & peccato Adami in paradiso esse fabulosam, & consequenter asserunt omnia loca testamenti noui, in quibus alluditur ad testamentum vetus, fuisse addita nouo testamento à corruptoribus sacrarum litterarum, qui contra præceptum Christi voluerunt infundere vinum nouum in vres veteres, hoc est voluerunt copulare doctrinam nouam, & veram testamenti noui à Deo bono per Christum, & Apostolos traditam, doctrinæ veteri & falsæ testamenti antiqui traditæ

ab altero principio malo, & mendaci. Vterque soluitur allatum argumentum Manichæorum dicendum est cum Sancto Augustino, quod etiam si ignorantia, & difficultas orta ex concupiscentia essent hominis primordia naturalia, adhuc natura esset bona, adeoque Deus creans ab initio hominem talem, qualis nunc scitur, non esset culpandus, sed laudandus hoc dicendo, admittitur possibilis natura innocens cum ignorantia, & concupiscentia; ergo ad soluenda argumenta Manichæorum, Sancto Augustino auctore, admittenda est possibilitas naturæ innocentis à Deo createe cum ignorantia, & concupiscentia, licet contra Pelagianos admittentes omnes Scripturas veteris testamenti, dicendum sit naturam humanam de facto creatam fuisse sine concupiscentia; concupiscentiam verò per peccatum primi hominis ingressam in hominem. Vnde Sancti Augustini in loco allegato lib. 1. retract. c. 9. sunt. *Ad quam miseriam iuste damnatione pertinent ignorantia, & difficultas, quam patientis homo ab exordio natiuitatis sue, nec ab ipso nisi Dei gratia, quisquam liberatur: quam miserie Pelagianus nolunt ex iusta damnatione Dei desistere negantes originale peccatum. Quamuis ignorantia, difficultas etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset. Sic in eodem tertio libro disputauimus, que disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt Scripturam Sanctas veteris instrumenti, in quibus originale peccatum narratur, & quidquid inde in litteris Apocryphis legitur, detestabili impudentia immisum fuisse tenent à corruptoribus Scripturarum, tanquam fuerit ab Apostolo dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod vtraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur.*

QVAESTIO L.

Vtrum homo innocens posset creari subiectus ignorantia, mortalitati, egritudinibus, doloribus, & alijs miserijs, quibus de facto est subiectus?

- V** Idetur, quod non: primo quia Augustinus contra Iulianum, aliosque Pelagianos peccatum originale probat ex eo, quod si paruuli nascerentur innocentes ab omni peccato etiam originali, Deus iniuste illis affligeret tot miseras, quot de facto patiuntur ergo Augustinus docuit naturæ humane innocenti non posse sine iniustitia tales miseras affligi.
- Probatur antecedens, asserendo propria loca Augustini ex Iansenio libro secundum de statu puræ naturæ, cap. 22. & lib. 3. cap. 6. & 8. Augustinus igitur lib. 1. operis imperatorum contra Iulianum dicit: *Deus igitur tuus tot, ac tantis malis, que paruuli patiuntur, aut stultitiam, aut omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum est perditurus: & lib. 2. eundem operis: propter quid ergo affliguntur paruuli nullum*